

gloriam. Quid hoc spectaculo notabilius quid hac victoria illustrius: quid hoc trophæo præstantius? Sed quid miraris? Non solum ignis, sed omnia alia elementa diuino numini obediunt. Tres autem pueri videntes admirabile Dei iudicium eû laudibus gaudio affecti efferebant. Ita faciunt animæ Deo deuotæ in similibus euentibus, iuxta id psalmi nonagesimifexti: Exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua domine.

¶ *Stans autem Azarias.* Azarias idem est quod auxilium Dei. Eius auxilio stabat fide & fortitudine roboratus.

¶ *Aperiensq; os suum.* Quasi sapientiæ & virtutum thesaurû. De Christo thesaurû abscondito dictum est Matthæi 5. Aperiens os suum docebat eos. Multi os aperiunt, vt fallat, ille vt doceret, & viâ ad cõsequendâ æternâ beatitudinẽ ostenderet.

¶ *Deum patrum nostrorum.* Meminit antiquorum patrum, in quibus priscis temporibus fides quæ per charitatum operatum, mirabiliter splenduit, & refulsit: vt eius obsecratio grata Deo esset. Eodem modo fecit Moses capite 32. Exodi in precibus, quas fudit ad Deum ad eius iram in vituli consuetudine placandam.

¶ *Et vniuersa opera tua vera.* Cùm veritas non operibus, sed verbis tribuatur, posset queri, cur hoc loco Dei opera dicantur vera? Sed in promptu est responsio: nam apud homines opera differunt a verbis: apud deum autem idem est dicere & facere: iuxta illud psalmigraphi: Ipse dixit, & facta sunt. Vnde mater filiorum Zebedæi dominum Iesum alloquens, Dic, inquit, vt hi duo filii mei sedent, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Et centurio, Dic verbo, & sanabitur puer meus. Vel dicuntur Dei opera vera ad differentiam operum hominû, quorum multa speciem habentia bonitatis, mala tamen sunt, Eamq; ob causam falsa sunt, quia simulata & ficta foris apparent bona, intus autem plena sunt dolis & fallaciis. Hæc simulatio vitiosa est, & è vita tollenda: aufer enim iudicium veri, idque adulterat. Qui autem huiusmodi simulatione, & inani ostentatione, fi-

ctis non modò verbis, sed factis stabiliunt gloriam se consequi posse existimant, longè quidem opinione fallunt. At Dei opera vera sunt, quia sincera sunt, & diuine sapientiæ, quæ nec fallit, nec fallitur, respondent. Veritas enim sumitur aliquando pro sincera bonitate. Nam cum rex Ezechias ægrotatione laboraret, has voces emisit: Obsecro domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate. Hoc est candidè, & sincerè, sine simulatione, sine ludo. Vide Esaiam capite 34. & 4. Regum 20. Sensus est: Nosti domine, dedisse me operam, vt feruorem integre mandata tua. Ita in epistola tertia diuisi Ioannis: Sicut tu in veritate ambulas. Aspicias veritatem his locis non tam ad intelligentiam, quàm ad voluntatem referri, non tam ad sermones, quàm ad facta, & idem esse veritatem & bonitatem. Eodè modo intelligi potest id, quod ait capite primo ad Romanos diuus Paulus: Qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Hoc est, curreret Dei bonitas & benignitas, nisi impij ei suis obfisterent sceleribus. Vel sumitur ibi veritas pro vera rerum intelligentia, vt fit sensus, Qui verû intelligit, sed non id efficiunt, quod animo percipiunt faciendum esse. Habent quidè aquâ veritatis, sed non fluunt nec illis affert utilitatem, quia est in palude hypocrisis detenta atque conclusa. Vel accipitur ibi veritas pro cognitione, quæ ex rebus naturalibus percipi potest de Deo: & iniustitia pro idolorum cultu, vt fit sensus: Qui cum rerum creatoris consideratione deueniant in creatoris notiam, colunt tamen idola, cultum illis soli Deo debitu tribuentes. Hanc existimo esse germanam huius loci explanationem. Accipitur aliquando veritas pro iustitia, vt Psalmo vigesimoquarto, Vniuertè viæ domini misericordia & veritas. Et Proverbiorum vigesimo, Misericordia & veritas custodiunt regem. Ac vt veritas accipitur pro bonitate & iustitia, ita verum accipitur pro bono, iusto, & æquo, vt Deuteronomii 25. vigesimo quinto, Pondera habebis iustum & verum. Et Psalmo decimo octauo, Iudicia domini vera, iustificata in semetipia.

Esai. 38.
4. Re. 20

3. Ioan.

Rom. 1.

Psal. 24.

Pro. 10.

Deu. 25.

Psal. 18.

Mat. 13.
Matt. 7.

Exo. 32.

Psal. 32.
Mat. 10.

Mat. 8.
Luc. 7.